

V. Sed de Nomine Typographiae ut prolixiores
simus, instituti nostri ratio non permittit, progredimur
itaque ad rem ipsam sive *Pragmatologiam*, quae *Existentiâ*
communiter atque *Essentiâ* absolvitur. Equidem de
Existentiâ quicquam admonere supervacaneum prorsus
arbitramur. Quemadmodum enim nullus dubitat mor-
taliū, an Sol etiam existat? quippe cujus radios atque
splendorem suis quotidie usurpat oculis: ita quis Solem
alterum Eruditorum, ejusque *Existentiâ* vocaret in du-
bium; cum non eruditis solum literarumque cultoribus;
sed omnibus fere ac singulis hominibus totique terrarum
orbi clarissimam accendat lucem?

VI. Sed enim vero in quonam nobilissimi hujus ar-
tificii *Essentiâ* consistat explicare, altioris est indaginis.
Nos ut eò progredi feliciter valeamus, *primum* omnes e-
jusdem partes, i. e. *causas* cum *externas*, tum *internas* per-
vestigabimus; *deinde* ex partibus totum, *Descriptionem*;
scilicet ex *Causis* fluentem, constituemus; & *ultimo* de-
nique loco paucis *Typographiae Adjunctorum* mentionem
injiciemus.

VII. Ex *Causis* primò sistimus *Efficientem*, a quo ni-
mirum Typographia fuerit inventa. De *causa* quidem
prima, res ita est in promptu, ut non egeat disputatione.
Nam cum bona omnia proficiscantur ab eo, qui fons
est & scaturigo bonorum, tum maxime de arte hac in-
comparabili minime addubitandum, quin Numen beni-
gnissimum cœlitus eam per spiritum suum aperuerit. Unde
enim, inquit Celeberr. Bœclerus, in *Orat. de Typogr.*, arcesse-
mus id *literarum propagandarum arcanum*, quàm ab eo, qui
primus Adamum humani generis parentem literas edocuit? Hinc
etiam, juxta B. Lutherum, *summum & postremum DEI donum*
audit, & communis Germaniae Praeceptor, Melanch-
thon artificium hoc *donum* vocat *divinitus generi humano*